ita mollienda est, quin habeat locum in utroque foro. Ad tertium constat ex ratione tertia posterioris partis hujus sententiæ. Ad argumentum propositum *n.* 39. pro 2. sententia, dic id principium esse verum, quando non est jus illum pœnam delicto dubio statuens, quale est in hoc casu. Ad argumentum tertiæ sententiæ relatum, *n.* 40. non est necesse respondere, quia eam sententiam non adversari nostræ explicabimus *n.* 45. Ad argumentum quartæ sententiæ propositum *num. præced.* dic negandum esse simile periculum imminere, quando est dubium juris. Quia cum tunc simus certi non esse expressam in jure irregularitatem, sed id jus anceps esse, est sufficiens principium ad credendum non esse hunc irregularem. Quòd irregularitas numquam incurratur, nisi in jure expressa sit, *c. Si qui, de sententia excom. in* 6. Et ideò hanc sententiam sustinent *Navar.*, ( etsi non tam apertis verbis ) *c, Si quis autem à num.* 36. *usque ad* 40. *de pœnit. dist.* 7. *& verbis apertis Covar. Clemen. Si Furiosus, 1. par. in init. num.* 3. *de homicid. Placa de delict. cap.* 12. *num.* 11. *Flores de Mena in suis variis quæst. lib.* 1. *quæst.* 9. *num.* 18. *Sayro de censuris, tomo* 1. *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 16. *& in clavi reg. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 23. *& 24. Ludovicus Lopez* 2. *part. instruct. conscientia, ubi de irregularit. cap.* 22. *column.* 2. *&* 3. *Azor. tom.* 1. *institutionum moralium, lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 10. *in fine, & quæst.* 11. *Suarez* 5. *tomo in* 3. *part. disp.* 40. *sectione.* 5. *num.* 18. *&* 19. *& sect.* 6. *a num.* 1. & concludit *n.* 12. nulla opus esse judicis sententia, aut de declaratione, ut in dubio facti sit hic irregularis. *Salas* 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disput. un. sect.* 10. *num.* 170. 171. 176. & 177. ubi etiam concludit non esse necessariam judicis declarationem: & *sect.* 18. *num.* 168. *Rebellus de just. par.* 1. *q.* 3. *sect.* 2. *num.* 13. addens hoc esse verum, etsi non sit verisimilius, fuisse secutum homicidium. Quod & reliqui Doctores allegati fatebuntur. *Valent.* 4. *par. disp.* 7. *quæst.* 19. *punct.* 2. *notab.* 3. Qui tamen addit hunc dubbium de homicidio, etsi irregulari in foro conscientiæ sit, non posse cogi in foro externo abstinere se ab ordinum ministerio, sed monendum esse. Quod additum est contra reliquos, nec admittendum; sed dicendum cum reliquis hunc in utroq; foro censendum eodem modo irregularem, atque in dubio facti hunc esse irregularem, tradunt etiam *Paludanus* 4. *dist.* 25. *quæst.* 3. *ar.* 2. *n.* 16. *Villadiego de irregul. c.* 6. *n.* 19. *Navar. Summa Latin. & Hispan. c.* 27. *n.* 228. *Ledesma* 2. *par.* 4. *q.* 26. *ar.* 2. *tract. de irregular. fol.* 365. *colum.* 3. Immò idem credo, etsi magis in eam partem hic inclinet, ut non sit homicidii reus, adhuc enim reputabitur in utroque foro irregularis. Quia dum neutrius partis assensum habet, res manet adhuc dubia. Pro hac etiam sententia sunt Doctores, quos *numero sequenti* referam, nam is casus est dubii facti. Quòd si contra hanc sententiam opponas, saltem eam procedere non posse, quando dubius de homicidio à se commisso, tenetur ex officio administrare Sacramenta, qualis est Parochus, talis enim non censebitur irregularis, ut non possit suis Parochianis petentibus Sacramenta ministrare. Quia sicut conjux dubius de matrimonii valore tenetur alteri petenti reddere, ne in dubio ipsum sua possessione spoliet, immò facta sufficienti diligentia potest petere, & reddere. ( Ut sustinuimus *lib.* 2. *de matrim. disputatione* 41. *num.* 47. ) ita videtur in hoc casu dicendum. Cum subditi habeant jus petendi à Parocho Sacramenta, cujus juris possessione non sunt ob id dubium spoliandi. Solutio est facilis, in eo dubio valoris matrimonii, est dubium matrimonium, & ideò nequit alter conjux bona fide possidens spoliari. At in dubio facti de homicidio, etsi homicidium sit dubium; at irregularitas est certa, & ideò ob hanc certitudinem cessat jus subditorum, quippe solùm Sacramenta petendi à Parocho jus habent, dum ille est capax ministrandi, juxta leges Ecclesiasticas.

43 Hinc deducitur, esse irregularem præbentem aborsui causam, cum dubium est, an fœtus sit animatus, ac subinde est dubium, an sit verè homicida. Quòd hoc dubium sit de facto. Sic tradunt *Joan. Andr. c. Sicut, el* 1. *num.* 3. *de homicid. & ibi Abbas num.* 7. *Cardin. in fin. Anchar. in fin. Ananias n.* 7. *Marian. Socinus Senior. c. Ad audientiam, quæstione* 36. *num.* 217. *eodem tit. Sylvest. verb. Abortus in fine, Navar. Sum. Latina, & Hispann c.* 27. *num.* 223. *Ledesma dicto tractatu de irregul. fol.* 365. *col.* 1. *Philliarcus de officio Sacerdot. tom.* 1. *part.* 1. *lib.* 4. *c.* 11. *notab. Manuel.* 1. *tom. Sum. in* 2. *edit. c.* 175. *n.* 4. De limitatione autem, quam apponit *Sylv.* agemus *n.* 45.

44 Secundò deducitur, quid in ea quæstione sentiendum sit: an consulens homicidium, quando facta sufficienti diligentia ad investigandam veritatem, manet dubium, an secluso consilio esset alter eodem prorsus animo perpetraturus homicidium, ac proinde an consilium operatum sit aliquid, censendus sit irregularis? Id negat *Enriquez lib.* 13. *de irregular. c.* 16. *n.* 3. *in commento, litera D.* Quòd in hoc dubio sit potior possidentis suam immunitatem ab irregularitate conditio. Atque ei favere videntur Doctores, quos retuli *lib.* 2. *de matrimon. disputatione* 41. *num.* 7. asserentes hunc non teneri restituere. Quippe cum ad utrumdue exigatur consilii operatio erga homicidium subsecutum, illaque sufficiat, idem de irregularitate, ac de restituendi vinculo dicendum est. Atq; ultra Doctores, ibi allegatos tenent idem loquentes de restitutione, *Sayro in clavi regia, lib.* 10. *tractatu* 2. *cap.* 8. *num.* 1. *in fine, Rebellus de justit. par.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 2. *num.* 5. *&* 7. ac videtur clarè tenere *Tabiena, verbo Restitutio questione* 23. *numero* 24. ubi tunc consulentem obligat restituere, quando probabiliter creditur consilium fuisse efficax. At in hoc dubio hunc esse irregularem, tradunt *Covar. Clementi. Si furiosus, 2. part. §. 2. num.* 1. *versiculo, In eo verò casu, Sayro de censuris tomo* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 2. Nec oppositæ sententiæ favent Doctores asserentes hunc non teneri restituere. Quia *ipsemet Enriquez eodem cap.* 16. *num.* 3. fatetur quandoque consulentem excusari à restitutione, non tamen ab irregularitate. Et ratio est, quia restitutio ex sola justitiæ violatione oritur, quæ violatio ubi dubia est, præstat possidentis conditio, ut ratione ejus à restitutione consulens hic liber evadat. At irregularitas consurgit ex jure humano illam imponenti, quod in hoc dubio illam imponere potuit: atque illam imposuisse inde constat, quia illam imposuit in homicidio, quando est dubium facti, ( ut *numero* 42. probavi, ) hoc autem est dubium facti, cum solùm sit dubium, an id consilium concurrerit ad homicidium. Quæ differentia etiam inde constat, quia consilio suo cooperans ad homicidium, tenetur lege justitiæ restituere damna, non restituenti homicida, quamvis ipse non dicatur verus homicida: at secùs esset de irregularitate homicidis statuta; nec enim hic consulens eam incurreret ex eo consilii nomine, nisi expressa quoque esset ( ut verè est, ) adversus consulentes homicidium. ( Ut latè probavi *lib.* 3. *de matrim. disp.* 49. *num.* 2. ) Potestque insuper probari, quia nec in hoc dubio est pro consulente. Nam ( ut *numero* 13. probavi ) pro eo stat possessio, pro quo juris præsumptio. At in hoc dubio præsumitur fore, ut eo consilio non adhibito alter non perpetraret homicidium, atque ideo præsumitur consilii cooperatio. Ut tradunt *Covar. & Sayro eo c.* 3. *num.* 2. *proximè allegat. & multi alii*, quos retuli, & secutus sum latiùs probans, *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *n.* 17. Et præter DD. ibi allegatos, tenent *Card. c. Ad audientiam, n.* 2. *verf. Quare si laso, de homic. Decius c.* 1. *in nova editione, n.* 60. *verf. Et notandum est, de offic. deleg. Boerius cons.* 175. *num.* 25. *in fin. &* 26. *volum.* 3. *Placa de delict. l.* 1. *c.* 17. *n.* 14. *Ruinus cons.* 6. *n.* 2. *in fin. vol.* 5. *Carrerius, & Riminald.* quos refert, & sequitur *Additionator ad Farinacium, cons.* 104. *litera D. limitatione* 4. *tom.* 1. *Bossius Pract. crim. ti. De mandato ad homicidium, n.* 59. *in fin. Mascardus de probationibus, tom.* 1. *conclus.* 419. *n.* 9. Atque consequenter dicendum quoque est, consulentem hunc esse irregularem, quando dubitatur an is, cui consulit, perpetrarit homicidium. Quia est quoque dubium facti. Verùm ex alia parte videtur, in neutro dubio hunc esse irregularem: non ratione possessionis, quia ea potiùs stat contra hunc consulentem. Sed quia *numero* 48. dicemus textus irregularitatem in dubio facti statuentes, loqui in sola irregularitate homicidii, nec ad alias extendi. At hic consulens non est irregularis irregularitate homicidii, etsi sola ea esset in jure statuta, non comprehenderet, hunc etsi certa esset consilii cooperatio, nedum existente dubia: ( ut proximè dixi. ) Textus autem indicentes irregularitatem ob hoc consilium, qui sunt *cap. Si quis viduam distin.* 50. *quod est ex consilio Martin. Papa cap.* 26. *& cap.* 2. *de cleric. pugnant. in duello, & cap. Sicut dignum, §. Ultimo, de homicid.* loquuntur de consilio cooperanti ad homicidium, tacent autem, quando est dubia cooperatio. Ergo in hoc dubio non est irregularis. Sed mea sententia in hac difficili quæstione breviter explicata, ea est. Quòd attinet ad restitutionem, dicendum est hunc consulentem, quando dubium est, an consilium cooperatum sit ad homicidium, teneri restituere non restituente homicida. Quia in hoc dubio damni dati non stat possessio pro illo, sed contra illum. Ut proximè probavi. Quare benè dixit *Carbon. tract. de restitutione, quæst.* 66. *versic. Quantum dictum*, oportere ut consulens à restituendi obligatione immunis sit, constare ipsi suum consilium nil operatum esse. Si tamen dubium esset an alter occiderit, existimo hunc consulentem non teneri restituere. Quia cum homicidium illud sit quid facti, non præsumitur in dubio, ubi alia præsumptio homicidii fortior non concurrit, etsi illa non concurrente, non erit possessio pro homicidio, ut consulens hic compellatur restituere. Sed post hæc scripta prodiit in lucem *Salas*, qui 1. 2. *q.* 21. *tr.* 8. *disp. unic. sect.* 23. *num.* 242. *in fin.* ait quando dubium est, an consilium sit cooperatum ad homicidium, eò quòd dubitatur an eo secluso id patrandum similiter esset, non esse dubitationem moralem, sed evidentiam cum sola dubitatione physica, & ideò obligationem restituendi in utroque foro oriri. Secùs autem ( inquit ) si dubitatio esset moralis, in quo eventu ait loqui DD. excusantes in hoc dubio consulentem à restitutione. Et probat, quia hic consulens est in sua pecuniæ possessione, qua in neutro foro spoliari debet, nisi constet sua causa damnum illatum esse. Ego hanc distinctionem non percipio. Si enim nomine dubitationis moralis intelligat eam, qua prudenter dubitatur, conjecturis hinc inde utramque partem ancipitem relinquentibus, nullatenus approbo hunc non teneri restituere. Nam contrarium satis probavi. Atque insuper probatur, quia in foro externo hinc condemnaretur ad restitutionem, eò quòd est certa injusti consilii actio, & præsumitur illam fortitam fuisse suum effectum, unde in reum transfertur onus probandi eam fuisse fructuram, & dum non probaverit, succumbet. Ergo idem erit in foro conscientiæ, cum utrumque foro judicet idem, dum non constat in foro conscientiæ veritas præsumptioni juris contraria: juxta ea quæ *numero* 11. in penult. ratione tradidi. Nec obstat possessio pecuniæ: quia cætera non sunt paria, eò quòd sit alia præsumptio, ac possessio pro damno dato: juxta id

quòd



quod in simili diximus *num.* 12. Quòd attinet ad irregularitatem, sentio prorsus eadem distinctionem utendum, & sic in dubio an alter occiderit, hunc non esse irregularem, secùs quando homicidium constat, & solùm dubitatur an consilium fuerit operatum. Quia in priori casu nulla est possessio, & præsumptio contra consulentem, sed factum manet omninò dubium: ac proinde non erit irregularis propter rationem adductam: quia sola irregularitas homicidii incurritur in dubio facti: hæc autem non est irregularitas homicidii. At in posteriori, cum stet præsumptio, & possessio contra consulentem, dum consulens non probat oppositum, censetur factum certum, ut id consilium fuerit operatum: ac juxta hanc presumptionem damnabitur tamquam irregularis in foro externo, & subinde idem quoque in foro conscientiæ dicendum est. Demum id observandum est, ex conjecturis posse elici consilium nil operatum esse. Ut si homicida erat inimicus capitalis occisi, vel necem ei minatus fuerat vel præpararat omnia ad homicidium necessaria. Ut cum *Decio & Felino* probavi *lib.* 2. *de matrimon. disput.* 41. *num.* 17. Atque *Beroius cons.* 175. *num.* 26. *volum.* 3. ait hoc probari, si probentur minæ verisimiles, & deliberatæ, ac sæpiùs iteratæ, vel inimicitiæ: ut quia interfectus processit, etiam justè contra illum in causa criminali, vel testificando, vel instigando, vel accusando. Addunt etiam *Enriquez libro* 14. *de irregularitate, cap.* 16. *num.* 3. *& Sayro de censuris tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 2. sufficere si homicida huic consulenti asserat se nec ad actus subsantiam, nec ad accelerationem motum fuisse consilio. At hoc non approbo, nisi homicida sit ita fide dignus, aut tales aliæ conjecturæ concurrant, ut prudens arbitretur illi fidem habendam.

45 Dum autem diximus, in dubio facti homicidii censendum quempiam irregularem, intelligendum est quoad privationem suscipiendi ordines, ac in illis ministrandi, quam intrinsecè includit irregularitas: secùs verò quoad alias pœnas, quæ à judice imponi solent pro irregularitate contracta, qualis est privatio beneficiorum, & aliæ similes. Quòd pœna ordinaria statuta delicto certo non sit imponenda delicto dubio, sed extraordinaria pro dubii qualitate. Et ita tradunt *omnes Doctores num.* 40. *allegat. Sylvest. Mayolus, & Manuel num.* 39. *relati.* quippè hoc clarè est, quod in ea distinctione ajunt. Idem docent *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 19. *articul.* 6. *disputatione* 66. *c.* 1. *n.* 5. *Suarez* 5. *tom. in* 3. *par. disp.* 40. *sect.* 6. *n.* 6. *in initio, & num.* 10. *ad finem. Sayro in clavi reg. lib.* 1. *c.* 13. *num.* 24. *Salas* 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disput. unic. sect.* 19. *n.* 176.

46 Demum superest duplex dubium circa hanc irregularitatem. Prius est, an dubius juris de hac irregularitate, aut alia censura, si non adhibita diligentia ad assequendam veritatem, ordines suscipiat, possit in illis post adhibitam diligentiam manente eodem dubio ministrare? *Suarez* 5. *tom. in* 3. *part. disput.* 40. *sectione* 5. *num.* 19. *Et Salas eadem disp. unic. sectione* 18. *num.* 169. dicunt esse probabile hunc non posse ministrare, donec omninò, certus sit se non contraxisse eas censuras. Quòd possessio mala fide incepta non juvet, ut melior sit ejus conditio. ( Ut probavi *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *num.* 24. ) Atque uterque pollicetur se latiùs de hoc dicturum in *sectione sequenti*, in qua neuter aliquid dixit, sed oblitus est. Sed existimo posse hunc ministrare post eam diligentiam adhibitam. Quia in dubio juris ille, nec est irregularis, nec alia censura innodatus, & solùm deliquit, eò quòd non priùs id juris dubium examinarit, ut tenebatur. Huic autem negligentiæ, & omissioni, nulla censura, aut irregularitas jure statuitur. Atque hinc patet ad fundamentum contrarium: non enim innitor possessioni hujus respectu ordinis suscepti, quæ ratione malæ fidei nullatenus ei suffragatur: sed innitor, quòd ei omissioni nulla sit jure statuta irregularitas.

47 Posterius est, an regula tradita ut in dubio facti censendus quis sit irregularis, non autem in dubio juris, sit omnibus irregularitatibus generalis, an soli homicidii irregularitati speciali? Et quidem ut in dubio juris nullus censendus sit irregularis, est generalis omnibus irregularitatibus. Ut probant omnes rationes *n.* 42. allatæ pro priori nostræ sententiæ parte. Et concordant omnes *Doctores ibi relati*. Tota autem difficultas est, an sit similiter generalis, ut quando est dubium facti, sit censendus irregularis. Quibusdam placet eam regulam esse generalem, Ducuntur, quia etsi *c. Ad audientiam, & c. Significasti, el* 2. *& c. penult. de homic.* statuentia hanc irregularitatem, loquantur de solo homicidio, & omnia illa id statuant innitendo ei principio naturali, *in dubiis est tutior pars sequenda*, ac illud tamquam obligans supponendo: ac inde inferunt in dubio facti censendum esse quempiam irregularem: eò quòd pars hæc sit tutior. Quare cum hæc ratio generaliter militet in omnibus irregularitatibus, similiter & decisio militabit. Et confirmatur, quia attenta hac textuum illorum decisione, Pontifex non censetur novum aliquod jus circa speciale homicidii dubium facti statuere, sed declarare quod ex vera naturali ratione observandum est, quæ non fundatur in speciali aliqua homicidii proprietate, sed in periculo animæ vitando. Ergo ea decisio non est specialis in homicidio. Secundo, quia lex quantumcumque penalis, est extendenda ad similes casus, in quibus invenitur ratio expressa in lege. Ut ex multis probavi *lib.* 3. *de matrim. disp.* 42. *num.* 4. Tandem, quia lex quantumcumque penalis lata in animarum favorem ad vitandum peccati periculum, non censetur odiosa, & restringenda, sed favorabilis, & ampliand. Ut probavi *lib.* 1. *de matrim. disput.* 39. *numero* 5. At

*Summa Th. Sanchez Pars I.*

hujusmodi est hæc lex. Et ideò hanc sententiam tenent *Abbas cap. Ad audientiam, num.* 2. *de homicid. & ibi Marianus, Socinus Senior. num.* 18. *& triplici sequenti, Rosella, verbo, Dubia, num. unic. Angelus verb. Dubium, num.* 2. *& ibi Sylvest. quæst.* 4. *num.* 7. *Tabiena quæst.* 2. *num.* 3. *Vasquez* 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *disp.* 65. *cap.* 3. *num.* 9. *&* 15. *& disp.* 66. *toto cap.* 1. *art.* 6. *disp.* 65. *cap.* 3. *num.* 9. *&* 15. *& disp.* 66. *toto cap.* 1. ( atque in priori loco vult idem esse in dubio juris; sed *n.* 42. id reprobavi. ) *Azor. tom.* 1. *institutionum moralium, lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 10. *in fin.* Atq; expresse etiam videntur hujus sententiæ *Covar. Lodovic. Lopez, Valentia, Placa, Flores de Mena, Sayro allegat. num.* 42. quippe generaliter, & indefinitè eam pro irregularitatibus regulam tradunt, ut in dubio facti eæ censeantur incursæ, secùs in dubio juris. Et *Rebellus tract. de just. par.* 2. *lib.* 1. *q.* 3. *sect.* 2. *n.* 15. expresse tenet idem in irregularitate illegitimatis, ait enim expositos censendos esse irregulares. Quia cum constet illegitimos esse jure irregulares, & solùm dubitetur, an hi sint illegitimi, est dubium facti. Atque *DD. allegati n.* 39. eam duplicem regulam tradunt universaliter in materia irregularitatis, ac proinde clarè censent eodem prorsus modo dijudicandum in dubio de irregularitate homicidii, & aliorum delictorum. Et pro hac etiam sententia sunt *Doctores omnes allegati, n.* 10. dicentes esse præceptum in dubio sequendæ partis tutioris. Et hanc dicit probabilem *Suarez* 5. *tom. in* 3. *p. disp.* 40. *sect.* 6. *num.* 13. *ad finem.* Et eam credo probabilissimam.

48 At magis placet id esse speciale in homicidii irregularitate, atque ideo in aliis casibus, nec in dubio juris, nec in dubio facti, censendum esse quempiam irregularem, nec esse necessario sequendam partem tutiorem, sed standum pro possessione: sicut diximus *n.* 11. Ducor, quod omnia jura clament in dubio delicto reum absolvendum esse: *regula, Favorabiliores* 168. *ff. de regul. juris, & regul. Cum sunt, eod. tit. in* 6. ibi: *Cum sunt jura partium obscura, reo favendum est potius, quam actori.* Ubi *glo. verb. Cum sunt* ait ex quo actor non probat delictum, reum esse absolvendum. Et ideò apertè hæc regula procedit in utriusque generis dubio. Et *c. un. ver. Cum enim, ut eccles. benef.* ibi: *Cum enim juris sit explorati, quod actore non probante, is qui convenitur, etiamsi nihil præstiterit debet absolvi.* Id est, etsi reus non probarit se liberum à delicto, quasi sola probationis negatio in actore sit sufficiens absolvendi rei ratio. At quoties actor manet dubium, manet delictum non probatum. Absolvendus est ergo tunc reus, quamvis altera pars sit æquè dubia. Cum igitur hæc sit regula juris, ac ratione valde consona, non est ab illa recedendum absq; textu expresso: qualis in solo irregularitatis homicidii dubio reperitur: nec is extendi debet ad alias irregularitates contra aliam juris regulam. Et confirmatur, quia re benè perpensa hoc dubium est juris. Cum res dubia sit, an in aliis factis præter homicidium, quando ea dubia sunt, jus statuerit irregularitatem. At quoties est dubium juris, nemo est censendus irregularis. ( Ut *n.* 42. probavi. ) Ergo nec in hoc dubio. Tandem, quia non obstant in contrarium adducta *n. praced.* Nam ad primum, & confirm. dico Ponteficem non inniti ei principio tamquam necessario obliganti in omnibus materiis, sed tamquam optimo consilio ei innixus decrevit hoc in materia homicidii, propter specialem indecentiam, quam habet ad ordines. ( Ut *n.* 11. probavi. ) Et ideò non concludit ad ordines. ( Ut *n.* 11. probavi. ) Et ideò non concludit idem in aliis irregularitatibus dicendum. Ad secundum dic, verùs esse non debere extendi ad similes casus, quoad pœnam incurrendam. Sicut ex multis probavi *lib.* 10. *de matrim. disp.* 4. *n.* 3. Quippè lex quoad pœnam non omninò pendet à ratione, sed etiam ex legislatoris talem pœnam statuentis voluntate. Quod maximè procedit in irregularitate, quam statuitur *c. Si qui, de sent. excomm. in* 6. inducendam non esse ex rationis similitudine, nisi in jure sit expressa. Ad ultimum dic, id non posse procedere in irregularitate, ob rationem proximè adductam: eò vel maximè quòd sequendo hanc partem nullum sit animæ periculum. Quia in hoc dubio potest hic valdè probabiliter credere ob rationes adductas se non esse irregularem. Et ideò hujus sententiæ videtur clarè *Navar. c. Siquis autem, num.* 41. *de pœnitent. dist.* 7. ubi ait in dubio tutiorem partem esse amplectendam in solis casibus jure expressis in *c. Ad audientiam, & cap. Significasti, el* 2. *de homicid.* Et in propriis terminis eam docent *Suarez* 5. *tom. in* 3. *par. disp.* 40. *sect.* 6. *num.* 8. *& seq. Salas* 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disp. un. sect.* 18. *num.* 168. *in init.*, qui tamen hoc limitat, quoties ( ut ferè semper contingit ) huic esse valde incommodum gerere se ut irregularem. Sed non est opus hac limitatione: eò quòd nullo jure probetur: & quia rationes adductæ probant hanc partem absque ea limitatione.

49 Sed quæres, an retenta hac sententia, sit idem dicendum in dubio facti mutilationis, quod in dubio facti homicidii: ac proinde dubitans in aliquem mutilarit, sit censendus irregularis? Videtur enim pars affirmans vera. Quippè est irregularitas hæc significationis, & delicti, sicut & irregularitas homicidii. 2. quia in materia irregularitatis æquiparantur homicidium, & mutilatio. Ut docent *Gloss. Clem. Si furiosus, verb. Mutiler. de homic. & ibi Covar. 2. p. §. un. num.* 2. *Rosel. verb. Homicidium* 4. *num.* 1. *Ang. verb. Homicidium, 5. num.* 3. *Syl. verb. Homicidium* 3. *q.* 4. *dict.* 1. *Tabiena, verb. Irregularitas* 1. *num.* 5. *Armilla, verb. Irregularitas, num.* 41. *Navar. Sum. cap.* 27. *num.* 206. *in fine, Enriquez l.* 14. *de irregul. c.* 3. *num.* 4. *& c.* 14. *numero* 1. Et colligitur ex *dict. Clem. Si furiosus*: nam cum ibi decidatur occidentem gratia vitandæ propriæ mortis

ßon esse irregularem, docent communiter Doctores idem esse de occidente gratia vitandæ propriæ mutilationis. Quod in hac materia mutilatio censeatur mors. Et ideo in jure mutilator dicitur homicida, *cap. Si quis obſciderit, d. 55.* Est enim mutilatio quædam partialis occisio, nempe, membri. At probabilius credo non esse irregularem dubium facti de mutilatione. Ducor, quòd mutilatio non sit propriè homicidium, sed impropriè, ac secundùm quid. Cum ergo jura in solo dubio facti homicidii hanc irregularitatem statuerint, non est pœna adeò rigida extendenda ad dubium facti de mutilatione. Atque ideò *Manuel. 4. regul. tomo. 1. quæſt. 24. art. 10. & Emman. Sa Summ. verb. Irregularitas, ubi de irregular. ex deformit. illicit. in fin.* dicunt non comprehendi mutilationem sub homicidio voluntario occulto, cujus irregularitatis absolutio denegatur. Episcopis *in Trident. sess. 24. cap. 6. de reform.* & sic posse Episcopum dispensare virtute illius Decreti in irregularitate mutilationis occultæ. Quorum sententiam non affero, quasi illam approbem: sed ad ostendendum mutilationem, & homicidium, quamvis in aliquo æquiparentur, censeri tamen diversa, nec dispositum in homicidio censeri disponi in mutilatione. At alia ratione ductus credo nullatenus posse Episcopum virtute illius Decreti dispensare in irregularitate mutilationis occultæ: non autem quasi comprehendatur sub homicidio ibi excepto. Ratio autem est, quia ibi sola dispensatio irregularitatis ex delicto consurgentis conceditur Episcopis. Quamobrem etsi non exciperetur ibi irregularitas ex homicidio voluntario, censeretur excepta, eò quòd non sit ex solo delicto, sed etiam ex significatione. Ut bene docent *Corduba in suo quæſtion. lib. 5. quæſt. 43. dub. 4. Medina 1. 2. quæſt. 96. art. 4. verſ. ad 1. argumentum.* Cum ergo juxta omnes irregularitas ex mutilatione sit ex delicto, & significatione, non censetur concessa ejus dispensatio Episcopis. Quod bene docet *Enriquez libro 14. de irregular. cap. 9. num. 3.* quamvis non meminerit hujus rationis, sed quia putat sub homicidii exceptione comprehendi: quod non credo. Quòd si opponas, exceptionem firmare regulam in contrarium in casibus non exceptis *l. Nam quod liquidè §. ſin. reſp. 1. ff. de pen. lega. & cap. 2. de conjug. laproſ.* Cum ergo sola irregularitas ex homicidio excipiatur, ac sub eo fateamur non comprehendi mutilationem, firma manet regula in irregularitate mutilationis occultæ, ut in ea Episcopus dispensare valeat. Respondeo exceptionem ita firmare regulam in casibus non exceptis, ut eam minimè extendat ad eos casus qui ablata exceptione illa non comprehenderentur sub regula, sed ad eos solos, qui ablata exceptione comprehenderentur, *l. Lucius, §. 1. & ibi Bart. ff. de uſuf. legat. & ibi Bart. & multi alii*, quos referunt, & sequuntur *Everard. in ſuis Topic. in loc. ab except. ad regul. num. 2. Covar. l. 2. var. cap. 5. num. 7. Meras de majorat. in 1. edit. p. 1. quæſt. 22. num. 22.* Et ratio est, quippe exceptio non ponitur ad ampliandam, sed ad restringendam regulam *l. 1. ff. de regul. juris.* Nequit ergo fieri, ut regula virtute exceptionis amplietur ad casus, quos alias non includeret. Cum igitur illa homicidii exceptione omissa, non includeretur in eo Decreto irregularitas mutilationis occultæ, eò quòd non sit ex mero delicto, non est dicendum ratione talis exceptionis comprehendi. Quòd si iterum instes, inde deduci esse ineptam exceptionem homicidii in eo Decreto appositam. Quia exceptio debet esse de contentis in regula: ut ineptè diceretur; Omnis homo præter equum currit. Respondet benè *Covar. eo num. 9.* satis esse posse exceptionem comprehendi sub regula, juxta ejus latissimum, & litterarium sensum, etsi non comprehendatur juxta verum sensum.

50 Rursus quæres, quid de dubitante an justè occiderit, ut in bello justo: quando adhibita sufficienti diligentia adhuc anceps manet? Videtur irregularis, ex *cap. penult. de homicid.* ubi presbyter pugnans contra infideles in bello justo damnatur in hoc facti dubio tamquam irregularis. *Enriquez. lib. 14. de irregul. cap. 3. num. 4. ad finem*, ait hunc non esse irregularem. Atque nullam hujus rationem reddit. Sed credo ita esse, Quia textus *Ad audientiam, &c. Significaſti, el 2. de homicid.* statuentes hanc irregularitatem loquuntur in dubio facti homicidii, sub quo non comprehenditur occisio justa. Nec obstat *id c. penultimum*, quia (ut bene notat ibi *Gloſſ. ver. Remorder*, ille non poterat propria manu pugnare, eò quòd esset presbyter, & idcò dabat opcram rei illicitæ.

51 Quarta difficultas est, Quid sentiendum de dubitante an excommunicationem contraxerit? Variæ sunt in hoc sententiæ tutior in dubio irregularitatis diximus. I. sustinet absolutè in hoc dubio censendum esse quempiam excommunicatum. Ducitur Primò, ex *cap. Cum deſideres, verſ. Secunda quæſtioni, de ſentent. excommun.* ubi consultus Pontifex an communicare liceret cum eo, quem fama vulgarat percussisse clericum: respondet ab ejus participatione abstinendum esse. Cum ergo tunc in excommunicatione dubia jubeat Pontifex illum tamquam excommunicatum vitandum, in dubio censetur quispiam excommunicatus. 2. ex *c. Illud, de clericis, excommu. miniſt.* ubi Pontifex deponi jubet clericum, qui audita fuæ excommunicationis fama celebravit: cum tamen excommunicatio esset dubia. Atque eam rationem reddit, quia in dubiis est tutior pars eligenda. 3. ex *c. Cum tu, de teſtib. & atteſtat.* ubi cum in dubium verteretur, an excommunicatio valida esset, tamquam præcedens appellationem, an potiùs irrita, quòd præcessisset illam appellatio: & quidam testes prius deponerent, alii verò posterius; respondet Pontifex se benignè dicta testium interpretantem, ne perjuri reputentur, præsumere duplicem interpositam appellationem, quamdam ante excommunicationem, & alteram post: & ita utrosque testes verum deposuisse, intelligentes de variis appellationibus, ac proinde excommunicationem illam tamquam latam post appellationem esse irritam. Ergo seclusis hac benigna interpretatione, & nota perjurii testium, judicandum esset in dubio pro excommunicationis valore. 4. *Sicut nobis de ſent. excommunic.* ubi jubetur Episcopus excommunicatum vitare, quoties absolutio est dubia. At tunc erat dubia excommunicatio, sicut & absolutio. Nam si absolutus erat, cessarat excommunicatio, secùs si non absolutus erat. Et ideo hanc sententiam sustinent *Gloſſ. finalis, c. Conſulti, de regul. & c. unico ad fin. de ſcrutin. Anton. d. c. Illud, in fin. Cardin. Clem. 1. quæſt. 15. num. 19. in fin. de ſepult. Marian. Socin. Senior. cap. Per tuas, num. 18. de ſent. excommun. Syl. verb. Abſolutio 3. num. 14. dub. 10. Corduba in ſuo quæſtion. lib. 3. quæſt. 6. col. 2. verſ. Quarò probatur.* Et pro eadem sententia sunt *DD. num. 10. relati*, quatenus ajunt in dubio extra justitiæ materiam esse necessario partem tutiorem amplectandam. Atque eamdem sequitur *Salas 1. 2. q. 21. tract. 8. diſp. unic. ſect. 4. num. 60. in ſolut. ad 4.* cum hac limitatione, si potest hic absque magno detrimento abstinere à celebratione, vel priùs ex communicationis absolutionem impetrare.

52 II. Sententia ait hunc in utroque fore censeri excommunicatum, quando non agitur ad pœnam pro delicto infligendam, sed sosùm ut se abstineat ab omnibus quæ jure excommunicatis interdicuntur. Sic *Abbas c. Cum tu, in fin. de teſtibus, & atteſt.* & ibi *Felin. num. ult.* & uterque ait idem videri sentire *Gloſſ. ibi, verbo Benignè*, dum ait excommunicationem esse medicinalem. *Angelus, verb. Dubium, num. 2. in fin. Armilla, verb. Dubitatio, num. 3. Hugolin. de cenſur. tabul. 1. cap. 14. in princ. num. 11, & 14. Vega 2. tom. Sum. cap. 15. caſu 28.* Et omnes Auctores, quos *num. 40.* retuli. Quippè tenendo hanc sent. in dubio irregularitatis, subdunt idem dicendum in quocumque alio delicto dubio. Quare *Angel. Armilla, & Vega* idem dicunt in aliis censuris.

53 III. sustinet hunc censeri excommunicatum in foro animæ, secùs in foro externo pars benignior, at in interno pars tutior. Sic *Innoc. c. Cum tu, in fin. de teſtib. & atteſtat. & ibi Hiſt. num. 2. Joan. Andr. in fine, Card. num. unic. oppoſit. 1. in fin. Henric. n. 2. Bellamera, num. 2.*

54 IV. ait in dubio juris hunc non censeri excommunicatum, secùs in dubio facti. Sicut in dubio irregularitatis distinxere *Auctores allegat. num. 24.* Duciturque ex fundamentis *ibi* adductis. Et quia decisio illorum textuum non est peculiaris in irregularitate homicidii. Ut tradunt *Doctores num. 47. allegati.* Hanc tuentur *Sayre in clavi reg. lib. 1. c. 13. n. 23. & 24. Azor. tom. 1. inſtitut. moral. lib. 2. c. 19. q. 10. in fin. & q. 11.* dicens idem dicendum esse de dubio suspensionis, & interdicti.

55 V. ait in utroque dubio, & in utroque foro, hunc censeri excommunicatum. Hanc sustinet *Vasquez 1. 2. quæſt. 19. art. 6. diſ. 65. num. 9. & 13. & diſ. 66. toto cap. 1.* quamvis enim non loquatur expresè de excommunicatione, ait tamen non in sola irregularitate, sed in omnibus casibus necessariò sequendam esse in utroque foro patrem tutiorem, in utroque juris, & facti dubio. At pars tutior est, hunc tamquam excommunicatum se gerere.

56 Cæterùm existimo, nec in dubio juris, nec in dubio facti hunc censendum excommunicatum. Ut si dubium excommunicationis consurgat, eò quòd dubium sit, an in jure sit excommunicatio eum casum amplectens: quod est dubium juris. Sive certa sit excommunicatio jure lata, ut adversùs clerici percussores; at dubitet ille nùm clericum percusserit, & ita incurrerit: quod est dubium facti. Quare quando præmissa debita diligentia, nequit de excommunicatione certus esse, non tenetur absolutionem procurare, sed in foro censetur excommunicatus. Et quidem quando dubium est juris, constat ex rationibus *numer. 42.* pro priori parte illius sententiæ. Quando autem est dubium facti, probatur ex adductis *numero 48.* ad probandum textus decidentes in dubio facti censendum quempiam irregularem, procedere in sola homicidii irregularitate. Atque ideò *Doctores ibi allegati* sunt etiam pro hac sententia. Nullus enim est textus decidens in dubio facti præsumi quempiam excommunicatum. Quippè *allegati num. 51.* ad id probandum, non probant: ut constabit ex eorum solutione ponenda *num. 63.* Quare in hoc dubio potior esse debet conditio possidentis: juxta dicta *num. 11.* Et ideò cum quilibet fidelis possideat jus participandi cum reliquis fidelibus, non debet in dubio ea possessione privari: nisi fortior aliunde præsumptio urgeat, ut constabit ex dicendis usque ad *n. 62.*

57 Ex quo deducitur, quoties dubitatur, an judex sententiam excommunicationis in aliquem protulerit, non teneri hunc, quando præmissa diligentia adhuc manet dubius, se gerere tamquam excommunicatum. Quod optimè docet *Divus Thomas quodlib. 4. art. 14.* Quia hoc est dubium juris. Secùs esse docent benè *Divus Thomas ibid. & Sayro de cenſurio, t. 1. l. 4. cap. 1. num. 21.* quando certum est excommunicationem à judice latam esse, at dubitatur an sit justa, ac fuerit sufficiens excommunicandi causa. Quia cum non sit subditi, sed judicis hoc examinare, & subditi sit obedire, dum illi non constat injustitia, & in hoc dubio tota pro judice, ac ejus sententia possessio.

Atque



Atq; eadem ratione idem dicendum est, quando dubium valoris excommunicationis oritur, ex eo quod dubitatur, an judex servarit modum procedendi requisitum ad ejus valorem: tenetur enim tunc hic tamquam excommunicatum se reputare. Quòd eadem proximè dicta ratio militet. Similiter tenetur se tamquam excommunicatum reputare, quando dubium est, an judex excommunicationem tulerit, vel pars, ad cujus instantiam est lata, eam habuerit intentionem, ad solum terrorem, & non animo ligandi. Quia cum in dubio præsumatur lata, ut verba sonant, (ut latè probavi *lib. 1. de matrim. diſp. 9. num. 13.*) excommunicatio possidet in hoc dubio. At secùs esset, quando verba quibus judex, aut jus ipsum excommunicationem tulit, sunt in jure dubia, an excommunicationem latam, an potiùs ferendam contineant; tunc enim re vera est dubium juris, an excommunicatio lata sit, ac proinde in hoc dubio non reputatur ille excommunicatus. Si autem dubium excommunicationis oriatur, ex eo quòd dubitatur de illius absolutione, possessio est pro censura, quæ certa fuit: & ideò in hoc dubio reputatur hic excommunicatus. Ut expresè deciditur in *cap. Sicut de ſent. excommu.* ubi tradunt id universi. Et latè potest videri apud *Covar. c. Alma mater, par. 1. §. 2. num. 6.* Et ratio est, quia cum absolutio sit quid facti, non præsumitur: & ideo dum de ea non constat, stat pro excommunicatione possessio.

58 Quòd si dubium sit de excommunicatione, eo quòd conditionalis fuerit, dubitaturque de conditionis impletione, tunc existimo hunc non censeri excommunicatum. Quia cum excommunicationis valor ex ea impletione pendeat, nec hæc tamquam quid facti præsumatur, nulla est pro excommunicatione possessio, donec constet conditionem impletam esse: ac proinde prævalet possessio illius, de quo dubitatur, an excommunicatus sit. Et hoc fortè est quod sensit *Covar. num. praced. relatus*, dum ab ea regula excepit excommunicationem conditionalem.

59 Si autem de excommunicationis valore dubitatur, eò quòd dubitatur an appellatio ab ea interposita præcesserit, an secuta sit: tunc in utroq; foro præsumitur excommunicatio lata ante appellationem, ac proinde valida. Id apertè colligitur ex *c. Cum tu, de teſtib. & atteſtat.* ut cum ponderavi *num. 51. in 3. argumento.* Et docere videtur *Gloſſa c. Venerabilibus, §. ult. verb. Poſtquam, de ſent. excomm. in 6.* Et tenent *Anton. Imol. Felin. Decius, Aret.* quos referunt, & sequuntur *Covar. c. Alma mater, 1. par. §. 2. num. 4. in fin. & 5. Sayro de cenſur. tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 30.* Reddunt autem rationem *Decius c. Super eo, el 2. in nova edit. num. 9. de appell. Covar. & Sayro nunc allegati*, cur in foro conscientiæ sit hic reputandus excommunicatus, eò quòd hæc pars sit tutior. Sed rationem hanc non approbo: quia in omni dubio idem concluderet. Sed legitima ratio est, quòd excommunicatio possideat, cum constet eam latam esse, excusatio autem sit dubia: nempè, illi præmissam esse appellationem, quę illam redderet nullam. Et ideò standum est præcepto tamquam possidenti; juxta ea quę diximus, *nu. 34.*

60 Si verò dubium sit de valore, eò quòd dubitatur de prælati excommunicantis potestate, tunc si prælatus ille sit in possessione excommunicandi, præsumitur pro excommunicationis valore: secùs si in ea non sit. Quia ubi de alicujus potestate non constat, nec est in ipsius possessione, ipsi onus illius ostendendę incumbit. Ut ex se constat.

61 Demum circa hanc excommunicationem dubiam duo observanda sunt. Prius est, ob dubiam excommunicationem impediri aliquem, ne in Episcopatum, aut dignitatem aliquam promoveatur, à quibus turpe sit aliquando cum deturbari comperta censuræ veritate, aut saltem ob dubium illud nota aliqua inuretur dignitati. Quod docet *Gloſſa cap. 1. verb. Sententia, 8. q. 4.* & probat ex *c. Tantis, diſt. 81. & c. Omnipotens, de accuſat.* Quod contingit non tam gratia excommunicationis dubię observandę, quàm gratia reverentiæ illi dignitati debitę. Et constat, quia idem fieret in dubio alicujus criminis gravis nulla censura affecti.

62 Posterius est, quę hactenus diximus de excommunicatione dubia, sunt prorsus dicenda de suspensione, & interdicto dubiis. Quia cædem prorsus rationes militant. Et ita *Auctores num. 52. allegat.* eodem modo de excommunicatione, & aliis censuris loquuntur.

63 Ad argumenta *n. 51.* proposita respondetur. Ad 1. dic *ibi* non decidi reputari quempiam in dubio excommunicatum, sed solam excommunicationis notitiam per famam satis esse ad vitandum aliquem tamquam excommunicatum. Quia illa fama satis erat attento jure antiquo ad probandam excommunicationem, quoad effectum illius excommunicati vitandi: ut tradit *Abbas ibi num. 6.* Ad 2. dic fama illa plenè probari excommunicationem. Ut tradit *Abbas eo c. Illud, num. 4.* Et quamvis contradicant alii, quos refert, ac sequitur *Covar. c. c. Alma mater, 1. par. §. 2. num. 5. ad finem*, at saltem hoc est verum, excommunicationem illam esse quasi certam hoc probante fama, ac illum deliquisse graviter, quòd nondum præmissa diligentia ad vincendum in dubium celebrarit. Quod colligitur ex *Gloſſ. penul. in fin. c. penult. de clerie. excomm. miniſt. & ibi Anton. in fin. & Abb. in fin.* dicentibus hunc non habuisse probabilem, sed crassam ignorantiam. Et ideò jure optimo dicitur *eo c. Illud.* teneri tunc illum dubitantem sequi partem tutiorem abstinendo. Ad tertium constat ex dictis *num. 59.* Ad ultimum constat ex dictis, *num. 57.*

64 Ultima difficultas est, an in confessione sint necessariò explicanda peccata mortalia quæ sunt dubia? Et quidem pars negans videtur suaderi. Primò quia in dubio potior est conditio possidentis. At hic possidet libertatem suam, & famam. Ergo in dubio præferendus est, ut nil contra se agere teneatur. Secundò, quia dubitans de præcepto, aut ne res aliqua sub præcepto claudatur, non tenetur illo, (ut diximus *num. 32. & 33.*) At hic dubitat de præcepto, & an hæc peccata comprehendantur sub illo. Cum enim certum sit, præceptum confitendi esse de solis mortalibus, idem est dubitare an hæc sint mortalia, & an sit præceptum illa fatendi, & sub illo claudantur. Et confirmatur, quia strictius est justitiæ præceptum; at dubitans de illo, non tenetur, dum sua possessio juvatur. 3. quia dubitans an casus sit reservatus, non tenetur superiorem adire gratia absolutionis obtinendæ, sed reputare debet casum non esse reservatum. (ut dicemus *num. 74.*) At non videtur major ratio de dubio, an peccatum lethale sit. 4. quia præcepta rigida non sunt extendenda, sed potiùs restringenda. Et confirmatur, quia ex altera parte videtur hæc obligatio inutilis; cum horum confessio non variet notabiliter judicium ejus fori interni. Quippè insulsum est pro culpis dubiis certam adhiberi pœnam, *c. Grave 23. quæſt. 3.* Atq; ex altera parte obligatio hæc affert scrupulos, & anxietates innumeras. Ergo non est inducenda. Tandem, quia incredibile est, si hoc præceptum esset in Ecclesia, defuisse Concilia in re tanti momenti non explicanda: & maximè *Trident. ſeſſ. 14. in Decret. de Sacram. Pœnit. c. 5. & canon. 7.* ubi ex professo agit de confitendis ex præcepto, & solùm meminit mortalium, ac circumstantiarum speciem mutantium. Et sic habet *regula Contra eum 57. de regulis juris, in 6.* locum in hoc casu ibi, *Contra eum, qui legem dicere potuit, apertius est faciendo interpretatio. & l. Quidquid adſtringenda ff. de verb. oblig.* ibi: *Quidquid adſtringendæ obligationis cauſa dicimus eſſe, id niſi palam extrimatur, omiſſum eſſe, conſendum eſt.* Et huic parti videtur favere *Enriquez, lib. 8. de Euchar. cap. 45. num. 3. in comment. lit. P.* ubi ait in dubio an sit peccatum mortale, posse deponi practicè eam confitentiam dubiam, & sic id peccatum taceri in confessione, ut dubitans de voto, aut præcepto; non tenetur illis.

65 Sed pro resolutione præmittendum est, quadruplex posse esse dubium. 1. est de solo jure, nempè, quando alicui constat se peccatum, ut furtum admisisse; est tamen dubius an id sit mortale. 2. est dubium de jure, & de facto: ut si quis dubitet an peccatum admiserit, idque sit mortale. 3. est, quando dubitatur an id peccatum sit expressum in confessione, aut confessio, in qua expressum est, fuerit valida. Ultimum, quando dubitatur, an id peccatum sit reservatum. Insuper potest esse dubium horum, quod omnem assensum excludit: aut potest esse opinio, quæ probabilem unius partis assensum includit, cum formidine tamen alterius.

66 I. Conclusio sit. Quando constat de facto, ut de peccato admisso, dubitat tamen quispiam an id fuerit mortale, tenetur illud fateri: dum id dubium ex justa causa non deponitur. Probatur, quia in dubiis, ubi possessio non favet dubitanti, est necessariò pars tutior amplectenda. (Ut probavi *num. 11.*) At pars tutior est ea peccata dubia confiteri: cum ea confitens nulli se periculo exponat; at subticens exponit se periculo omittende materiæ necessariæ, nempè, peccati, quod verè erat mortale. Nec possessio favet dubitanti. Tum, quia præceptum confessionis in hoc dubio possidet. Nam eo ipso quòd dubium est, an peccatum sit mortale, est certum illius confitendi præceptum, id testanti usu Ecclesiæ, ut colligitur ex universis Doctoribus antiquis & Neotericis, quos statim referam, qui tamquam rem certam unanimi consensu hoc præceptum ita intelligunt: & colligitur ex *Triden.* ut statim probabo. Tum etiam, quia id principium, *In dubio potior eſt conditio poſſidentis*, procedit, quoties dubitans obligatur ad aliquid excedens procedit, quoties dubitans obligatur ad aliquid excedens cogendus esset vovens, aut debitor solvere, obligaretur ultra dubium, & sic conditio ejus esset deterior, cum tamen deberet ratione dubii esse melior; cum possideat. At in præsenti non obligatur dubitans ad aliquid ultra dubii limites; cum tantùm teneatur illa peccata fateri sub dubio, quod revera habet. Secundò quia lex quantumcumque pœnalis, & odiosa sit, est amplianda, quando est in animarum favorem, ad vitanda peccata: (ut probavi *lib. 1. de matrim. diſp. 39. nu. 5. & lib. 3. diſp. 1. num. 8.*) nedum hęc confessionis lex, quę tantùm abest ut sit pœnalis, & odiosa, ut potiùs valde favorabilis sit, & tamquam suavissimum medicamentum ad omnia peccata præterita post baptismum commissa delenda, ac futura præcavenda, à Christo Domino nostro sancita. 3. quia *Trident. ſeſſ. 14. in Decret. de Sacramen. Pœnitent. cap. 5. & can. 7. agens de materia Sacramen. Pœnitent.* sola venialia à confitendi necessitate excepit. Non ergo sunt excipienda peccata, de quibus dubitatur, an mortalia sint. Et confirmat, quia peccata sunt detegenda in confessione, eo modo, quo sunt in conscientia. Cùm ergo in illa sint tamquam dubia, an sint mortalia, sic sunt aperienda. Tandem, quia id est necessarium, ut confessor tamquam judex possit eo modo de illis judicare, & ex conjecturis arbitrari qualia sint: & tamquam medicus prœcavere in posterum medicamento adhibito. Et ideò hanc conclusionem, quam

omni-

omninò certam reputo, fustinent *Alensis 4. par. quæst. 77. membro 2. art. 5. in corpore, D. Th. 4. dist. 21 quæst. 2. art. 3. ad Albert. Mag. 4 d. 17. art. 64. Ricardus 4. d. 16 art. 5. quæst. 1. 3. Altisiodorensis lib. 4. sua Sum. tract. de confess. quæst. ultim. in 7. argum. Palud. 4. d. 21 q. 2. art. 3. concl. 3. tu, 14. Major. in 4. dist. 17. q. 2 col. 2. vers. Dico ergo. Gerson 2. par. Serm. in Cœna Domini de pœnit. Alph. 41. lit. F. vers. Quæritur de dubiis. Adrianus 4. q. 4. de confess. in priori par. in solut. 3. confirmationis 1. argum. D. Antonin. 3. par. titul. 14 c. 19 §. 8. Rossella verb. Confessio Sacrament. 1. num. 12. & eodem verb. El 2. nu. 9. Angelus verb. Confessione Sacrament. 1. num. 35. Sylvest. eod. verb. El 2. q. 2. num. 3. Tabiena eod. verb. El 2. quæst. 11. num. 12. Cajet. Sum. eod. verb. cap. 1. in 4. condit. ad fin. & ibi Armil. num. 5. Victoria Sum. de Sacrament. ubi de confess. nu. 130. Merina C. de confess. 9. de confitend. venialib. in solut. ad 3. Sotus 4. dist. 18. q. 2. art. 4. post 3. conclus. vers. Sed arguet. Navar. c. Si quis autem, num. 4. de pœnit. dist. 7. & in Sum. Lat. & Hisp. cap. 21. num. 34. & cap. 9. in Hisp. num. 11. in Latin. num. 14. & cap. 27. in Hispana num. 277. Viguerius lib. instit. cap. 16. §. 4. versic. 17. Martin. de Ledesma 2. par. 4. quæst. 3. artic. 4. dub. 3. Margarita Confessorum, in fol. 41. pag. 2. versic. Tenetur quis venialia Alcozer Sum. cap. 10. in 2. doctrina, Antonius. Venetus cap. 10. de iterata confessione, par. 2. numer. 1. Ambrosius Spier. formone 19. conf. 2. conclusione 3. ad fin. Hugolin. de Sacram. ubi de pœnitent. cap. 15. nu. 11. vers. Vel ejus quod. Graff. 1. p. decisionum lib. 1. cap. 10. num. 11. Celaya 4. dist. 17. q. 7. in 4. argum. Toledo lib. 3. Sum. cap. 7. num. 6. Sayro de Sacramen. Peniten. cap. 12. num. 12. Petrus de Ledesma de Sacram. ubi de Pœnit. cap. 10. statim post 1. conclus. & in conclus. ultima. Suarez tom. 4. in 3. par. dis. 22. sect. 9. num. 1. & 2. Valentia 4. tom. disp. 7. q. 9. punct. 3. col. 2. vers. Quòd si quis dubitaret. Enriquez lib. 5. de pœniten. cap. 4. in fin. Philiarc. de officio Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 2. c. 22. in init. Emman. Sà in Sum. verb. Confess. num. 7. Salas 1. 2. q. 21. tract. 8. disp. un. sect. 5. nu. 60. in solut. ad 4. Azor. to. 1. instit. moral. l. 11. c. 4. q. 3. Sayro in Sua clavi reg. Sacerd. l. 1. c. 13. num. 4.* Atque hæc conclusio est vera, quamvis dubitans magis in eam partem inclinet, ut id peccatum non sit mortale, dummodò ejus assensum probabilem non habeat; juxta ea quæ *n.* 75. dicemus.

67 II. Conclusio. Idem prorsus dicendum est, quando quis est dubius de facto, & de jure: ut si quis dubitet, an alicui peccato mortali consenserit, ut desiderio, aut delectationi morosæ mortalibus, tenetur enim confiteri ut peccatum dubium, Quia eadem prorsus est ratio, ac quando est dubium an certum factum sit mortale, perinde enim uterque dubitans est anceps, an culpæ lethalis reus sit. Et ideò universæ rationes in præcedenti adductæ hanc quoque partem æquè probant. Atque in propriis terminis tradunt *Palud. Rossella, Cajet. Gerson, Tabiena, Sotus, Viguerius, Suarez, Azor. num. praced. relati, Salas ead. sect. 5. num. 60. in solut. ad 4. & n. 58. paulo post princ.*

68 III. Conclusio in utroque dubio explicato in *duplici nu. praced.* sunt ea peccata confitenda ut dubia, & non ut certa. Quia confiteri dubium, ut certum, est mentiri: & cum sit circa materiam confessionis necessariam, nequit à mortali excusari. Secundò, quia si hic dubitans affirmaret se reum peccati mortalis, valdè judicium confessionis variat: nam valde diversum judicium ferendum est de peccato dubio, ac de certo. Tandem quia non minor veritas exigitur in foro confessionis interno, quàm in externo. At in hoc damnaretur ac testis falsus, & mortaliter delinquens, qui rem sibi dubiam deponeret tamquam certam. Idem ergo in illo dicendum est. Et sic tradunt *Alensis, D. Thom. Paludanus, D. Antoninus, Gerson, Cajetan. Armilla, Sotus, Victoria, Petrus de Ledesma, Suarez num. 66. allegat. Sylvest. verb. Confessio sacrament. 1. quæst. 9. in fin. Petrus de Sotto de institut. Sacerd. ubi de confessione, lectione decima: ad fin. Manuel. primo tom. sum. in 2. editione cap. 52. num. quinto.* Nec aliquis de hoc dubitat. Sæpè tamen pœnitens hæc tamquam certò confitens, excusatur à peccato, eò quòd bona fide, & quadam simplicitate id faciat, existimans consultius esse se gravare, quàm exonerare, vel sic facienda esse. Quod specialiter advertunt *Cajet. Victoria, Suarez, Manuel, ibid. Navar. sum. c. 21. nu. 37.*

69 Hinc deducitur fatendas quoque esse circumstantias ejus peccati dubii. Ut si quis dubitet, an desiderio fœminæ consenserit, tenetur explicare suum, ac illius statum. Nam eæ similiter ei dubbio subjiciuntur, & proinde iis tacitis non explicaretur plenè peccatum dubium. Quòd si non meminerit pœnitens speciei illius peccati, sed solùm dubius sit, an aliquod mortale admiserit, tunc tenetur in genere fateri se dubium esse, an quoddam mortale admiserit. Sicut optimè docet *Major. in 4. dist. 17. quæst. 3. colum. penult. in solut ad 4.* qui scit se mortale admisisse nec specie meminit, teneri in genere fateri se mortalis culpæ reum. Quia eadem est ratio de peccato certo confitendo tamquam certo, & de dubio tamquam dubio. Si autem recordetur postea speciei, tenetur iterum eam fateri. Quia id peccatum nondum plenè in confessione expressum erat. Sicut etiam qui confessus est, se dubitare an consenserit delectationi veneræ, aut sit furatus, si postea certus sit de consensu, aut furto, tenetur illud iterum fateri. At secùs esse, (ut optimè sit *Cordubæ sum. quæstio. 9.*) quando integrè fassus est peccatum, quod fecit, dubitabat tamen an esset mortale, quamvis enim confessor simili dubio teneretur, non est iterum confessio illius peccati repetenda, si postea alteruter doctior factus, aut aliis consultis, norit id peccatum esse mortale: nisi aliunde confessio fuerit irrita, ut quia data opera quæsivit ille confessorem ignarum, ac insufficientem ad ejus confessionem excipiendam. Quia jam plenè in confessione excipiendam, Quia jam plenè in confessione suum peccatum detegit, nec nova circumstantia explicanda occurrit, nec ad confessionis valorem est necessarium, ut pœnitens, aut confessor sciat determinatè peccatum detectum esse mortale. Quippe in omnibus id scire est impossibile.

70 Id tamen monuerim, quando materia sic est dubia, adjungendum esse aliquod peccatum certum, ne sub conditione absolutio conferatur. Quippè id vitandum est, quoties fieri potuerit. Sic optimè docet *Suarez eadem sectione 9. num.* 3. Quod utique procedit, quando confitens est dubius de facto, & de jure, quia, nempe tantum fatetur se dubium esse, an aliquod mortale admiserit, aut tale peccatum. Quia tunc nullam certam confessionis materiam præstat. Si verò certus esset de facto, dubius autem de jure, ut quia fatetur peccatum, quod se admisisse est certus, & solum dubitat an sit mortale, non est opus aliam materiam præbere. Quia jam datur certa materia. Atque in hoc posteriori casu intelligendus est *Gerson relat n. 66.* qui ait in dubiis fatendum esse sub conditione, & posse absolutionem certam dari.

71 IV. Conclusio. Quando dubium est de confessione, ut si quis dubitet an aliquod mortale fassus sit, tenetur iterum id fateri, dum dubium illud non deponit. Quod sit certus de præcepti obligatione, dubius autem an illi satisfecerit: in quo casu diximus *nu.* 12. obligare præceptum: Et ita docent *Navar. c. Si quis autem, nu. 77. de pœnit. d. 7. Suarez ea sect. 9. n. 2. Salas ead. sect. 5. n. 60. in solut. ad 2.* Atq; idem est verum, quamvis dubitans in ea partem propendeat, ut id jam fassus sit. Nam dum non habet probabilem hujus confessionis assensum, tenetur illud fateri: quia adhuc est dubius. Sic *Navar. eo. nu. 77.* Subjungit autem optimè *Suarez ibid.* non teneri hunc explicare se dubium esse, an id peccatum sit iterum fassus. Quia cum peccatum sit certum, nil refert ad præsentem confessionem, an id iterum sit in confessione declaratum. Immò nec tenetur hic dicere id peccatum ante hanc confessionem perperratum esse, ob eamdem rationem. Quod tamen intellige, nisi taliter mutatus sit pœnitentis status ab ultima confessione, ut si non declaretur id peccatum antea commissum, aut addetur circumstantia mutans speciem, aut ea non declarabitur, verbi gratia, id peccatum erat venereum, & tempore, quo commissum est, erat pœnitens solutus, aut laicus; nunc autem est conjugatus, clericus ordinis sacri, aut religiosus; vel è contra antea erat conjugatus, aut voto castitatis adstrictus: at ab ultima confessione, est ab utroque vinculo liber; si id peccatum simpliciter declaretur in confessione, intelliget confessor id ab ultima confessione admissum esse, ex qua status est variatus, & sic decipietur intelligens, aut habere circumstantiam speciem diversam, aut illa carere. Si tamen explicaretur integrè, & fideliter qualitas peccati, manifestum est non esse opus explicare tempus, quo commissum est. Qualiter autem temperetur hoc, quando est dubium, an id peccatum sit in confessione detectum, dicam *n.* 85. & 86.

72 Atque idem dicendum est, quando dubium fuerit, an confessio sit irrita ex parte pœnitentis, aut confessarii, est enim necessario iteranda. Quia cum sit præceptum validæ confessionis certum, & executio dubia, militat eadem ratio tradita, *nu. prec.* Sic *Merina C. de confes. q. de confes. facta sacerd. pravo, vers. Illud in hac materia.*

73 Sed quando dubitatur an casus sit reservatus, discordant DD. quibusdam dicentibus censeri eum reservatum, sic adeundum esse superiorem gratia absolutionis obtinendæ. Quòd hæc pars tutior sit. Sic docent *Armil. verb. Casus, num. 13. Frias tract. de modo audien. confes. par. 2. c. 8. casu 2.* Et idem non obscurè significat *Cordub. in regul. D. Francis. c. 7. q. 4. punct. 1. casu 5.*, ait enim in dubio an peccatum eò accedat, ut sit reservatum, ut si gravis percussio reservetur, & dubitetur an hæc sit gravis, esse solius habentis potestatem absolvendi à reservatis, judicare an reservatum sit.

74 At verius est, non censeri reservatum. Quia cum reservatio sit odiosa, verba ejus sunt strictè accipienda. At casus delicti dubii, ut dubiæ percussionis gravis, non est delicti simpliciter, sed secundùm quid. Non ergo in absoluta delicti reservatione comprehenditur. Et sic tradunt *Suarez 5. to. in 3. par. disp. 40. sect. 6. n. 5. Enriq. l. 6. de pœn. c. 26. n. 7.* Quod quidem intelligo, nisi in eo eventu esset præsumptio fori externi pro illius delicti admissi veritate: quia stante hac præsumptione est pro certitudine delicti possessio, & illa præsumptione est in utroq; foro standum, dum contraria veritas non constat, ut *nu.* 13. probavi.) Verbi gratia, hæresis externa reservatur, quando etiam mente ita sentitur, dubius autem eam proferens est, an ita mente senserit, vel an mente ita sentienti protulerit exteriùs animo ejus adserendi, & sic sit verè externa, ac proinde reservata; an solius joci animo, censebitur in hoc dubio reservata. Quia cum verba sint naturaliter signa intentionis, & nullus præsumitur dicere, quod in corde non habet, nec aliter, quàm in eo habet (ut probavi *lib. 3. de matrim. disp. 9. n. 13.*) præsumptio est, ac possessio in hoc dubio, ut hæresis illa processerit exteriùs ex vero interiori in illam consensu. Item quia in hoc dubio hic judicaretur verus hæretious in foro externo. Ergo idem in



in interno. Quia hæc judicia non sunt diversa, nisi quando illud falsè præsumptioni innititur, & in hoc constat contraria veritas. Ut dixi *n.* 11.

75 Hactenus egimus quid in dubio censendum sit: superest tractandum quando non est dubium, sed judicium probabile, seu opinio. *Salas 1. 2. q. 21. tract. 8. disp. un. sect. 5. num. 60. in solut. ad 4.* ait, licèt tamquam probabilius opinetur pœnitens, non esse aliquod peccatum mortale, vel jam in confessione detectum, tenetur eum ad illud confitendum, si potest fateri, absque magno proprio incommodo: secùs si nequit: poterit enim tunc id tacere, donec id incommodum cesset, & eo cessante tenebitur fateri. Et *num. 58. statim in princ.* ait esse necessariò fatendas circumstantias, de quibus sunt variæ opiniones probabiles, nùm sint fatendæ, si ille possit absque magno incommodo eas fateri. Idque solùm probat, quod ita usus Ecclesiæ hoc confessionis præceptum interpretatus sit.

76 Sed dicendum est, non teneri hunc fateri peccatum, quod probabili opinione credit non esse mortale. Quia potest quippiam licitè operari sequendo probabilem sententiam. (Ut satis probavi *c. praced. à num.* 14.) Nec contrarius Ecclesiæ usus testimonio aliquo ostenditur. Atque ita docent *Rosella, verbo Confessio Sacramentalis 1. num. 12. Sylv. verbo Confessio Sacramentalis 2. q. 2. §. 3. Gerson. 2. p. serm. in Cœna Domini de pœnit. alphab. 41. lit. F. vers. Quæritur de dubiis, Enriquez lib. 5. de pœnitent. c. 4. in fine, Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 22. sect. 9. n. 5. & 6.* Qui optimè *eo num. 6.* ait hoc esse verum, etsi hic judicet tamquam probabilius, illud esse peccatum mortale. Quia non tenetur quis sequ. probabiliorem opinionem, sed satis est probabilem. (Ut satis probavi *cap. praced. à num.* 14.) Atque eadem ratione idem est dicendum, quando pœnitens probabiliter opinatur se id peccatum fassum fuisse, quamvis probabilius credat oppositum. Sic *Suarez eo num. 6.* Quod non obscurè etiam docuit *Navar. c. Si quis autem, n. 77. de pœnit. d. 7.* dicens, teneri quempiam dubium de confessione alicujus mortalis, illud fateri, etsi magis opinetur se id fassum esse, dummodò illa opinio ad fidem, & credelitatem usque non pertingat. Ergo secùs credit, quando revera non est suspicio, seu major inclinatio in hanc partem, seu assensus probabilis illius. Qua ratione idem prorsus est dicendum, quando eædem opiniones sunt circa priores confessionis valorem. Post enim opinioni probabili assentiens, eam non repetere. Et eadem ratione benè dicit *Suarez eo num. 6. in fine*, idem prorsus dicendum esse, quando sunt probabiles opiniones, an aliquod peccatum, & aliquæ circumstantiæ sint confitenda: potest enim pœnitens opinioni probabili dicenti non necessario fatenda, conformari. Tandem idem prorsus est dicendum, ubi sunt opiniones, an peccatum sit reservatum.

77 Hinc excipit *Enriquez lib. 5. de pœnit. c. 4. in fine*, nisi pœnitens sit in mortis articulo, tunc enim ait teneri illum confiteri de illo peccato, quamvis probabiliter credat non esse mortale. Quia etsi opinio probabilis excuset à culpa, non supplet tamen necessarium remissioni peccatorum medium, si fortè hoc coram Deo fuit mortale. Ubi de confessione nil dixit, & quidem meritò. Quia probabiliùs opinio eum excusat à confessionis præcepto, & ei periculo defectus remedii necessarii ad ejus remissionem, si fortè fuit mortale subvenitur satis contritione illa, cum id non teneatur durante ea opinione fateri. Et ideo contritio illa remittet id peccatum in ordine ad claves Ecclesiæ, quibus ille subjiciendi se animum habet, quoties sciverit se teneri illud fateri. Quare si post peccatum admissum est facta aliqua confessio aliorum peccatorum, nec tunc tenetur de illo conteri. Quia virtute illius confessionis fuit jam indirectè remissum, instar peccatorum oblitorum, & ratione probabilis opinionis excusatur, ne teneatur hoc peccatum fateri, sicut tenetur peccata oblita, quando illorum memor fuerit. Quare optimè *idem Enriquez, l. 8. de Eucharist. c. 45. num. 3. in comment. lit. P. in fine*, dixit expedire illud fateri in eo mortis articulo, si nequeat facilè conteri, aut suscipere aliud sacramentum, quod id peccatum remittatur, ne se exponat periculo. Non autem approbo quatenus ait generaliter, nisi suscipiat aliud sacramentum. Quia, etsi probabilissimum sit omnia sacramenta aliquando conferre primam gratiam accedenti bona fide, id tamen non est certum nisi de baptismo, & pœnitentia, quare receptis solis aliis sacramentis, absque contritione, non est adhuc certum remedium remissionis illius, si fortè fuit peccatum mortale.

78 Tandem ad argumenta contraria proposita *nu. 64. resp.* Ad 1. & 2. confirmat. constat solutio ex prima ratione adducta *num. 66.* ubi probavi possessionem esse pro præcepto, nec dubium esse quin præceptum confessionis amplectatur omnia mortalia certa, & dubia. Ad tertium neganda est consequentia. Quia reservatio tamquam odiosa non comprehendit casus dubios. (Ut *num. 74.* probavi.) At præceptum confessionis est favorabile, (ut probavi *num. 66.*) & est latum mortalibus certis, & dubiis. Ad quartum constat ex dictis *num. 66.* in secunda ratione, ubi probavi potiùs hoc præceptum esse favorabile, & extendendum. Præterea esto esset pœnale, aut strictè intelligendum, esset sufficiens hujus extensionis fundamentum, usus Ecclesiæ ita interpretans hoc præceptum. Ad confirmat. dic eam peccati dubii confessionem esse valde necessariam. Tum quia notabiliter est aliud judicium de peccato veniali certo, ac de dubio, an sit mortale. Tum etiam, quia medicina id sanans est, ac præservat à lapsu in similia peccata dubia. Nec hæc obligatio anxietates parit, cum ea non consurgat ex dubiis vanis, quos scrupulos vocant, sed ex dubbio consono rationi. Ad ultimum dic, id argumentum ductum ab auctoritate negativè, nil probare, Quia non omnia pertinentia ad divinum confessionis jus explicantur *ibi*. Non enim declaratur *ibi*, quo tempore divinum confessionis præceptum obliget, nec an circumstantiæ notabiliter aggravantes, aut minuentes sint necessariò fatendæ. Insuper satis videtur hæc obligatio expressa in *eo Tridentini loco*, dum sola venialia à confessionis præcepto excepit.

## SUMMARIUM.

*An liceat cum conscientia scrupulosa non deposito scrupulo operari? Refertur quadam sententia num. 79.*
*Explicatur sententia Auctoris, num. 80.*
*An sit consilium contra scrupulos operari? ac solvuntur objectiones, qua scrupulosos torquent, num. 81.*
*Qua media debeat confessarius scrupulosis applicare? Explicantur tria, nu. 82. 83. & 84.*
*Explicatur quartum, & an sint scrupulosi admittendi ad confessionem peccati, de quo dubitant, an id fassi sint? n. 85.*
*An idem dicendum sit de scrupulosis deperditæ vitæ, ac eadem remedia illis deserviant? num. 86.*

79 Quæstio ultima. An operari cum conscientia scrupulosa dictante aliquid esse peccatum liceat? Aliqui Auctores tradunt deponendum esse scrupulum ad licitè operandum. Probaturque, quòd ad licitam operationem sit necessarius assensus intellectus saltem probabilis honestatis operis. At urgente scrupulo deficit hic assensus. Ergo eum deponi petit honestas operis, aliàs id erit illicitum. Secundò, quia textus *c. Inquisitioni, de sentent. excommun.* loquens, an conjux scrupulum solum habens valoris matrimonii teneatur ab ejus usu abstinere, sic ait: *Conscientia levis, & temeraria crudelitatis explosa.* Ubi apertè textus ad licitum conjugii usum petit prius scrupulum, seu illud temerarium dubium explodi. Atque ita docent *Lud. Lopez 1. p. Instruct. Conscientia c. 3. vers. Ex quo sequitur, in fin. Manuel. tom. 2. Summa c. 51. num. 3. in fine.*

80 Sed dicendum est, licitum esse agere cum conscientia scrupulosa, an aliquid sit peccatum, quamvis scrupulus non deponatur, sed maneat in mente: atque adeò hujusmodi conscientiam non obstare judicio requisito ad licitam operationem. Ducor, quoniam ad benè operandum sufficit judicium probabiliter dictans aliquid licere. (Ut probavi in *c. prac. num.* 18.) At quantumvis perseveret scrupulus in mente, non amittitur prædictum judicium: Cum enim scrupulus ex levi fundamento procedat, nequit practicam, ac moralem certitudinem in operando tollere. Item, quia etsi non sciatur cum esse scrupulum, sed probabiliter tantùm credatur: eo ipso, quòd est probabile esse scrupulum, est quoque probabile eum carere fundamento. Ergo eo non deposito, sed adhuc urgenti, est integrum operari contra illum. Tandem quoniam Doctores gravissimi (ut *num. sequ.* videbimus) dicunt non tantùm licere, sed esse quoque præsentaneum, ac saluberrimum illis scrupulis abigendis medium operari contra illos, & sic anxiè consulunt. Et ideo hanc sent. sustinet *Navar. c. Si quis autem, num. 64. & 65. de pœnit. d. 7. & Sum. Latina, praludio 9. num. 9.* Quare D.D. allegati *num. praced.* qui contrarium docere videntur, intelligendi sunt non de vero scrupulo, qui quantumcumque urgeat, minimè tollit assensum contrariæ partis. (Ut diximus *c. praced. nu. 2.*) Sed intelligendi sunt, quando determinatum alterius partis assensum tollit: in quo eventu jam non est scrupulus, sed verum dubium. Ut rectè docet *Cajet. in suis opusc. tom. 1. tract. ult. in respons. 13. dub. 7. ad fin.* Et textus etiam *c. Inquisitioni, de sententia excommunicationis*, quem in contrarium *num. praced.* attulimus, intelligendus est non de vera explosione, ita ut scrupulus non sentiatur, nec perseveret, sed ita ut ipsi non præstetur consensus, per determinatum illius partis, in qua vexat, judicium, formando assensum dictantem eam partem non licere.

81 Quamobrem optimum, atque saluberrimum consilium est scrupulis vincendis, operari frequenter contra eos, temnendo illos. Quod egregiè his verbis docuit *Gerson. 2. p. tract. de Præparat. ad Missam, alphab. 37. lit. F. Debent scrupulosi audaciter contra tales scrupulos operari: aliàs numquam pacem habebunt.* Idem tradunt *Laur. Justin. in l. de disciplina Monast. convers. c. 12. Ant. 1. p. 1. 3. c. 10. §. 10. Sylv. verb. Scrupulus, q. 3. Cajet. Sum. verb. Scrupulosorum medicina, Navar. Sum. Lat. c. 27. num. 283. Cord. in suo quæstion. l. 3. qu. 5. propos. 4. Alcozer Sum. c. 7. Metina l. 2. Sum. c. 17. Valentia 1. 2. disp. 2. q. 14. punct. 4. ad finem, & ibi Salas q. 21. tract. 8. disp. un. sect. 29. num. 298.* Atque ita appositissimis adhibitis similibus, probat potissimum remedium esse, nil de scrupulis curare, nec argumentis, quæ ex ipsis conflurgunt, respondere, sed omninò contemnere, ac vitare cogitationes insurgentes circa illos. I. simile est ex *Cajet. ibid.* Sicut à laterum acervo rectè dispositio expedit summoperè nullum dimovere, vel uno enim dimoto cæteros corruere necessarium est: non secùs est necessarium aures scrupulis insurgentibus claudere,

dere, nec eos moveri pati. Quia non secùs, si argumentis ex scrupulo deductis auditum scrupulosus præbeat, sed satisfacere nitatur, nec contra agat, in multo plures scrupulos, majoremque mentis perturbationem incidet, nec umquam optata animi tranquillitate fruetur. II. est ex *D. Ant. & aliis ibid.* Sicut cum virga quædam obtorta est, solet in contrariam partem inflecti, quò recta permaneat: non aliter scrupulosum in alteram partem agendo contra scrupulos, inclinari opus est, ut medium quoddam tenere valeat. III. est ex *Metina ibid.* sicut ad siniſtræ consuetudinis vitium bestiæ tollendum, opportunum remedium est, id in ea nullatenus permittere. Sic ad siniſtro scrupulosi vitio medendum, mirum in modum confert, scrupulis non acquiescere, sed contra agere. Quia tamen, quod maximè scrupulosos torquere solet, est argumentum hoc, si nunc morti proximus esses, non auderes cum hoc scrupulo è vita discedere, oportet huic satisfacere. Duplex est solutio. Priorem tradunt *Syl. & Cordub. ibid.* quæ est hæc. Multa oportet in eo articulo facere, quæ extra illum facienda minimè sunt. Quippe, aut mente hominem privarent, aut in disperationem traherent. Posteriorem affert *Cordub a ibid.* & est hæc. In illo etiam articulo consultius faceret scrupulosus temnendo eos scrupulos. Solet etiam aliud scrupulosum vexare, nimirum, ignoro me scrupulosum esse, ac quæ me vexant non excedere scrupulorum limites. Sed præsentaneum est remedium, stare confessoris, aut alterius viri docti judicio, cujus id judicare est: cognoscetque an scrupulosus sit ex regula in *cap. praced. n. 2.* tradita,

82 Sacerdos ergo scrupulosi confessiones excipiens, hæc potissimùm remedia adhibiturus ei est, quo ejus conscientiam pacare valeat. Primum est, ei suadere, ut nil mortale esse putet, nisi tale esse norit certò, & absque formidine ulla. Hoc tradunt *Azor. tom. 1. institutionum moral. l. 2. c. 20. q. ult. Vasquez 1. 2. q. 19. art. 6. disput. 67. c. 2. ad fin.* Qui optimè addit posse interdum quempiam adeò scrupulis vexari, ut ipsi suadere expediat, ne aliquid esse mortale existimet, nisi quod tale esse, possit jurejurando affirmare. Et idem dic de consensu ab ipso præstito alicui mortali, est enim monendus ne se consensisse putet, nisi ita certus sit, ut id jurare valeat.

83 II. Est, ut confessarius non admittat frequenter, & in plurimum scrupulosi dubia, nec se adeuntem interrogandi dubia gratia excipiat, & si opus fuerit, illum verbis ad id appositis, & accommodatis exterreat. Sic tradit *Azor, n. prac. relatus*. Et hujus ratio est, quoniam (ut egregiè tradit *Vasquez n. prac. allegat.*) si semper scrupulosus confessarium, aliumve doctum circa scrupulos consulat, scrupulorum fontem numquam exhauriet, Potest etiam scrupulosus deterreri, ei explicando, posse interdum esse præceptum agendi contra scrupulos nimirum, quando quis grave ex scrupulis, & anxietatibus detrimentum pateretur. Quod optimè docet *Valent. 1. 2. disp. 2. q. 14. puncto 4. q. ult.*

84 III. Remedium est, ut confessarius nullatenus scrupuloso permittat scrupulos confiteri, sed ea sola, quæ apertè norit esse peccata: atque ejus dubia in meliorem partem interpretetur. Sic *Azor. ibid.*

85 Ultimum remedium est, ne confessarius ullis scrupulosi precibus, quamtumvis importunis acquiescat, ut eum admittat ad ea confitenda, de quibus ipsi scrupuloso dubium supervenit, an ea confessus fuerit, quando mediocri diligentia eum fassum esse constat. Quia credulitas alicujus rei, & sic confessionis præmissæ, est in scrupulosis quasi certitudo in homine pacatæ conscientiæ. Item quia confessio non est, ut laquei injiciatur, sed ut bona fide, & mediocri diligentia præmissa aperiantur crimina, & semel aperta sepeliantur. Ergo qui semel hanc diligentiam adhibuit, potest probabiliter credere, se huic obligationi satisfecisse, dum contrarium non certò sibi constiterit. Sic tradunt *Cajet. & Metina num. 81. allegati. Idem Metina 1. 2. q. 19. ar. 6. in fin. Navar. c. Si autem, num. 77. de pœnit. d. 7. Enriquez l. 5. de pœnit. c. 3. num. 4.* Immò *Emm. Sà in Sum. verb. Dubium num. 5.* benè ait, scrupulis nimiis vexatum non debere fateri, nisi quę potest jurare esse mortalia, & se numquam ea fassum fuisse. Quod est conforme doctrinæ *numer. 82.* traditæ, & maximè necessarium ad obviandum scrupulis, pacandamque conscientiam.

86 Sed (ut optimè advertit *Vasquez 1. 2. q. 19. artic. 6. disp. 67. in fin.*) tradita deserviunt scrupulosis, quibus suæ conscientię cura est. Quippe sunt aliqui nimiis scrupulis vexati, ac de peccatis in posterum vitandis minimè curant, sed eis effrenatè vacant, quibus difficillimo negotio remedium adhiberi potest. Quare his ait, remedium præsentaneum esse, si frequenti confessione sua peccata expient, ut vel sic ad saniorem mentem reducti, uti prędictis remediis tutò possint. Verùm quamvis hoc minimè prestent, sed in futuris peccatis cavendis minùs cauti sint, possunt in ea materia, in qua eos scrupulis vexari constat, dubia eorum in meliorem declarari. Hęc *Vasquez ibid.* Cui addo, rarissimè hos circa presentia crimina, in quę præcipites ferantur, scrupulis vexari: cum illis apertè confentiant. Sed aut circa præteritorum peccatorum confessionem torquentur, an ea confessi fuerint. Et circa hoc, quando confessor noverit, eos mediocri diligentia adhibita fassos integrè fuisse, potest illis suadere, ne præteritum peccatum confiteantur, nisi certi omnino sint illud in confessione detectum non esse. Siquidem generaliter hanc regulam non limitans ad scrupulosos tradit *Emmanuel Sà in Summa, verbo Confessio, num. 42.* Nec hoc contradicit dictis *num. 71.* ubi provimus in dubio, an aliquod mortale sit in confessione detectum, esse necessariò fatendum. Id enim est verum, quando dubium est rationi consonum, quale non est, sed potiùs judicatur scrupulus, ac dæmonis vexatio ad turbandas conscientias, & tædium confessionis generandum, quando ex modo confessionis factæ, & diligentia ad ejus integritatem appositа, judicat prudens confessarius eam omnino integram fuisse. Quod hi sibi persuadere jure optimo valeant, id peccatum in generali peccatorum numero, quem fassi sunt, inclusum esse, ut si sit fornicatio, in fornicationum numero, &c, quamvis dum peccata fatenda numeravit, non memineritillius. Neque enim est possibile in confessionibus, quæ diu protrahuntur, memoriam omnium in singulari peccatorum habere: & ideò pœnitens attenta sua ejus peccati patrandi consuetudine, numerum explicat, qui sibi verisimilior videtur. Aut hi scrupulosi deperditæ vitæ vexantur scrupulis circa res fidei, & blasphemiæ, quæ peccata maximè abhorrent: aut circa vota à se emissa, credentes passim, & leviter se votis adstringere, aut circa alia similia. Circa quæ potest confessarius uti erga illos remediis dictis à *num. 82.* ac illis persuadere, ut de his minimè curent, sed contra agant: ac debet confessarius illorum dubia hæc interpretari in mitiorem partem. Quia in his similiter se habent, ac scrupulosi benè morigerati; nec in his præcipites ad peccata feruntur.

## CAPUT XI.

### Qualiter peccet, aut mereatur, qui cum conscientia erronea dictanti aliquid esse licitum, aut illicitum, id operatur?

SUMMARIUM.

*Quid, & quotuplex sit conscientia erronea? num. 1.*
*Operari contra conscientiam erroneam dictantem aliquid esse malum, est culpa, num. 2.*
*Quid, si actio illa contra conscientiam non sit omnino libera num. 3.*
*Unde oriatur hæc non operandi contra conscientiam erroneam obligatio, & an hujusmodi conscientia obliget? num. 4.*
*Peccatum contra hanc conscientiam ad quam speciem reducatur: & an sit speciale necessariò fatendum: & duplex malitia operari contra conscientiam non errantem? num. 5.*
*An quando conscientia errans dictat aliquid esse peccatum, nec explicat an veniale, an mortale, sit mortale id agere? n. 6.*
*An ut peccetur agendo contra conscientiam erroneam, oporteat ejus judicium actu manere, & quando sic manere dicatur? numer. 7.*
*An deposita conscientia erronea, liceat contra eam operari? nn. 8.*
*Qualiter liceat conscientiam errantem deponere? Refertur quadam sententia, num. 9.*
*Explicatur sententia Auctoris, n. 10.*
*Quando temerè deponitur, aut universalis, seu speculativa non applicatur ad particularem, seu practicam, qualis culpa sit contra illam agere? n. 11.*
*Quando conscientia erronea dictat id, quod est verè peccatum, sub præcepto esse, ut mentiri, si ea sit culpabilis, an sit peccatum eam sequi mentiendo, & similiter contra illam agere, non mentiendo? n. 12.*
*Quid; si ea conscientia sit inculpabilis, aut si culpabilis adest dolor præteritæ culpæ, an sit peccatum agere utrumvis, & sic detur perplexitas? Refertur duplex sententia. num. 13.*
*Exponitur sententia Auctoris, n. 14.*
*An quando conscientia culpabiliter errans dictat aliquid esse sub præcepto, quod revera erat peccatum, sit gravior culpa contra eam agere, an illam sequi? num. 15.*
*An sit magis obligatorium sequi conscientiam errantem, quàm præcepto prælati obsequi? num. 16.*
*An agere id, quod conscientia invisibiliter errans dictat esse bonum, cum tamen in se sit peccatum, sit actus virtutis: & si dictet esse indifferens, sit actus indifferens? num. 17.*

1 BReviter, quod ad solos mores attinet declarabo, quæ latiùs videri poterunt in DD. allegandis. Atq; præmittendum est, erroneam, sive errantem conscientiam esse, quæ dictat esse bonum, quod alioquin est malum: aut è contra, quæ dictat esse malum, id quod in se bonum est. Rursus cum in conscientia erronea sit ignorantia pravæ dispositionis, sicut ignorantia quædam est invincibilis, seu inculpabilis: altera autem vincibilis, seu culpabilis: sic de conscientia erronea dicendum est. Dicetur ergo invincibilis, quando ita errat, ut virtute modi, quo errori adhæret, non debeat illum deponere, sed potius prudenter existimare se non errare. Vincibilis autem, quæ imprudenter judicat, ita ut si debita adhiberetur diligentia, minimè erraret.

2 I. Conclusio sit. Operari contra conscientiam erroneam, sive culpabilem, sive inculpabilem, dictantem aliquid esse malum, est peccatum, ac intrinsecè malum. Conclusio est de fide. Ut cum *Adrian. quod l. 4. ar. 2. & Cordoba in suo q. l. 2. q. 4.* probat *Vasquez 1. 2. q. 19. ar. 6. disp. 59. c. 2. num. 6.* Ubi latissimè ex Scripturæ, & Sanctorum, ac variorum Pontificum



tificum decretis eam probat. Quamvis *Sayr. in clavi reg. l. 1. c. 4. num. 3.* solùm vocet opinionem veram. Et quamvis *Salas 1. 2. q. 42. tract. 8. disp. un. sect. 3. num. 16. in fine*, dicat alios sentire contrarium non esse hæreticum, sed temerarium, & periculosum, quos ipse sequi videtur. Probatur una, vel altera ratione conclusio. Quia cum conscientia sit proxima bonitatis, & malitiæ humanorum actuum regula, (ut probavi *c. 9. n. 1.*) agens contra conscientiam, sive verè, sive falsè dictantem aliquid esse peccatum, delinquit contra proximam humanæ actionis regulam. Quamvis enim per se ratio recta, & quæ est divinæ legis participatio, sit nostrarum actionum regula: at per accidens est regula conscientia errans, non ut errans, sed quatenus recta ab operante existimatur. Et confirmatur, quia etsi conscientia erret dictans id esse malum, voluntas illud amplectens vult, quantum in se est, malum, ac proinde legem naturalem, dictantem omne malum esse vitandum, transgreditur. Sicut qui privatum credens esse regem contemnit, non privatum, sed regem contemnere censetur.

3 Intellige tamen quando actio, vel omissio est libera. Si quis enim carcere detentus, in quo non est sacrum, putaret se peccare non audiendo illud, minimè peccaret. Et similiter qui manu violenter ab aliis mota hominem percuteret, non peccaret, etsi errarit existimando se peccare. Quia cum ad peccandum desideretur libertas, actio illa carens nequit peccato obnoxia esse.

4 Hinc 1. deducitur, obligationem non operandi contra conscientiam errantem, non oriri per se ex ipsa conscientia erronea, sed ex principio naturali dictante malum esse vitandum, atque ex ejus virtutis præcepto, contra quam id malum esse hæc conscientia dictat. Ut si dictet id esse furtum, erit contra justitiam; si fornicationem, erit contra castitatem. Quippè virtutum præcepta obligant ad vitanda non sola ipsis adversa, sed etiam, quæ adversa esse conscientia errans dictat. At conscientia errans tantùm se habet instar cujusdam conditionis, qua existente tenetur homo vitare, aut facere id, ad quod ea secluſa non tenebatur. Et hoc est, quod *Durandus 2. d. 39. qu. 4. n. 7. & alii* dicunt conscientiam errantem non propriè obligare, sed ligare. Quippe ipsa non est, quæ præceptum inducit, sed ipsa existente quasi ligati sumus ad ejus dictamen sequendum. Sic optimè ait *Valentia 1. 2. disp. 2. q. 14. punc. 4. q. 1.* Quamvis aliter quando conscientia errans ligare, & quando obligare dicatur, explicent *Azor. 1. 1. inst. mor. l. 2. c. 8. q. 8. Vasquez 1. 2. q. 19. art. 6. disp. 60. toto c. 2. Salas d. sect. 3. num. 31. Sayr. in clavi regia l. 1. cap. 4. a num. 7.* Qua in re non immoror, quòd ad solum metaphysicum loquendi modum pertineat.

5 Deducitur 2. crimen adversus conscientiæ errantis dictamen, ad eam malitiæ speciem, ac culpæ quantitatem pertinere, quam ipsa conscientia errans dictat. Ut si dictat esset veniale, erit veniale, si mortale, mortale, si adulterium, adulterium. Quia cum tota hujus malitiæ ratio in eo consistat, ut contra conscientiæ errantis dictamen sit opus, talis, & tanta erit malitia, qualem, & quantam conscientia dictarit. Et ita docent *D. Th. 1. 2. qu. 19. ar. 5. ad 3. & Metina ea qu. 19. ar. 6. dub. 4.* Ubi *& Vasquez disp. 59. c. 3. nu. 11. Cajet. Sum. verb. Conscientia, Navar. Sum. Lat. pralud. 9. n. 9. Cordubа in suo quæstion. l. 3. q. 4. post solut. ad 2. contra 1. propos. in dub. 1, & 2. Valent. 1. 2. disp. 2. qu. 14. punct. 4. qu. 2. Azor. to. 1. instit. moral. l. 2. c. 8. qu. 4. Salas 1. 2. qu. 21. tract. 8. disp. un. sect. 3. num. 17. in fine, & num. 32. Sayr. in clavi regia, l. 1. cap. 4. num. 15. & 19. & omnes.* Addunt autem *Navar. ibi, & Sayr. num. 15.* Doctores prædictos quatenus ajunt peccari tantùm venialiter, si conscientia errans dictet esse solùm veniale, intelligendos esse, nisi id revera esset aliunde mortale. Cum enim conscientia errans non minuat peccati gravitatem, peccabitur utique. *Salas ea sect. 3. num. 33. quæst. 5. in fine*, hoc improbat, dicens quamvis ex se sit id peccatum mortale, si putetur ab operanti veniale, erit tantùm veniale. Verùm omnes benè dicunt, diversimodè intellecti, illi quidem loquendo de ignorantia culpabili, cum hæc etiam minimè excusèt, non efficiet ut id, quod ex se erat mortale, fiat ratione hujus ignorantiæ veniale: hic autem quando ignorantia esset inculpabilis; excusabitur etiam ab ea culpa mortali, quam peccatum in se habebat, & erit sola venialis qualem conscientia errans putabat. Quare omnes illæ circumstantiæ fatendæ sunt, quas conscientia errans existimarit adesse. Quia tota ea malitia in eo opere invenitur. Quòd si conscientia dictet esse peccatum in genere, non descendendo ad speciem aliquam, ad nullam specialem peccati speciem pertinebit, sed ad generalem contra præceptum sequendi boni, & mali vitandi. Sicut si quis in genere peccare proponat. Sic *Metina, Azor. q. 6. Sayr. n. 20. Valent. proxime alleg.* Et in re convenit *Salas sect. 3. nu. 32.* quamvis diverso modo loquatur. Quare merito *Valentia, Sayr. num. 23. Salas ibi num. 88. & 35. q. 7.* carpunt *Adrian. 4. q. 4. de confess.* dicentem agere contra conscientiam errantem, esse speciale peccatum necessario fatendum. Sed dicendum est cum his Auctoribus, non esse speciale peccatum, & ideò sat esse fateri præcepti violationem, quam conscientia errans dictabat, non declarando fuisse contra conscientiam errantem. Nec audiendus etiam *Angelus* est, qui *c. 7. moral. circa 2. p. textus, c. 3.* dicit, duplicem esse malitiam, quoties conscientia non errat, alteram contra conscientiam, alteram verò contra præceptum, quod verè violatur. At dicendum est unicam esse malitiam contra id præceptum, cujus juxta veram, vel errantem conscientiam est trangressio. Quia cum nullum præceptum, nullaque virtus obligent, nisi medio conscientiæ judicio, quod est proxima operandi regula: notitia virtutis, ac præcepti eadem obligandi vires obtinet, ac ipsum præceptum, ipsaque virtus. Quare peccans contra conscientiam, non peccat contra duplicem regulam, dupliquemque virtutem, sed contra eamdem sibi notam, ac propositam. Et ita docent *Cordub. ea q. 4. posi 6. propos. in dub. 1. Vasq. in d. c. 3. n. 11. Azor. eo c. 8. q. 7. Sayr. eo c. 4. n. 21. Salas ea sect. 3. num. 33.*

6 Duplex autem circa hoc difficultas est. Prior est, qualis culpa sit, quando conscientia quidpiam illicitum judicat, nec tamen cogitatione distinguit, an veniale an mortale sit? In primis (ut benè ait *Vasquez statim citandus*) si id esse illicitum in aliqua peculiari specie conscientia dictet, debet ex ea judicari, an sit mortale, an veniale. Ut si dictet hodie esse diem jejunii, aut festivum, quantitas culpæ debet ex horum præceptorum transgressione judicari, quæ est mortalis. At verò si proponat confusè, ut peccatum, non determinata materia peculiari, nec unde possit deduci, an mortale, an veniale sit. *Cordubа in suo quæst. l. 3. q. 4. in 6. propos. allegans Angelum*, dicit eamdem esse hujus rationem, & proponentis in genere peccare, nullam speciem determinando, & addit aliquando fore veniale, aliquando mortale: subticet tamen quando hoc contingat. Aliis placet esse culpam venialem. Quod in eo actu sola conscientiæ dictantis malitia sit volita. Cum ergo solam malitiam generalem dictet, & tota ea in veniali reperiatur erit sola venialis. Deinde, quia velle id, quod in genere dumtaxat reputatur illicitum, non videtur gravis malitia. Cum adhuc ejusmodi voluntas se intra rationis communis veniali, ac mortali limites contineat. Ita docent *Navarr. Sum. Lat. pralud. 9. n. 9. Valentia 1. 2. disp. 2. q. 14. punct. 4. q. 3. in fine, Lud. Lopez. 1. par. instr. conscientiæ, c. 3. vers. Præterea, quia in mentem, Manuel. 1. 1. Sum. in 2. edit. c. 71. in fine, Salas 1. 2. q. 21. tract. 8. disp. un. sect. 3. n. 33.* At etsi hoc probabile sit, existimo probabilius fore lethale, quale esset proponentis in genere peccare. Quippe cum absque sufficienti examine qualitatis culpæ, voluntas eam amplectatur juxta suæ conscientiæ dictamen, aut juxta id peccandi in genere propositum, exponit se manifesto culpæ mortalis periculo. Et ita docent *Vasquez in 1. 2. q. 19. articul. 6. disp. 59. c. 3. num. 10. Azorius tom. 1. instit. moral. l. 2. c. 8. q. 6. Sayr. in clavi reg. l. 1. c. 4. n. 17.*

7 Posterior difficultas est. An ad operis malitiam contra conscientiam errantem, desideretur adesse actu illius conscientiæ judicium? *Metina 1. 2. q. 19. art. 6. paulo post, princ. & Manuel. 1. 1. Sum. in 2. edit. c. 71. n. 2.* dicunt, nec desiderari actu adesse, nec sufficere habitu: sed opus esse id judicium virtute perseverare. Quod tunc videntur censere accidere, quando id per contrarium dictamen minimè revocatum est. Ut si quis antea judicasset esse furtum, usurpare alienum in extrema necessitate, ac hujus judicii immemor, nec eo revocato, in ea alienum usurparet, peccaret contra conscientiam errantem. Alii explicant hoc accidere, quando id judicium erroneum non multò antea præcessit: tunc enim virtute perseverare dicitur. At verius est, opus esse, ut id judicium actu perseveret, dum opus contra conscientiam errantem fit, ut culpæ imputetur. Quia, ut intentio præcedens virtute manere dicatur, desideratur eam per aliquem effectum derivari, & perseverare. Nam si nullum opus ex ea derivaretur, in quo diceretur manere, nil refert, an longo, an brevi antea tempore ea intentio præcesserit. At id erroneum judicium præcedens caret omni prorsus effectu, in quo manere dicatur. Item, quia ex opposito sequitur, infidelem semel existimantem ad operis bonitatem opus esse, ut id ad idolum referat, peccatorum in omnibus operibus ex objecto bonis, quæ illius judicii immemor efficit. Quod absurdissimum est. Et ideò hanc partem tuentur *Azor. d. c. 8. q. 12. Salas ea sect. 3. n. 29. Vasquez d. ar. 6. disp. 60. c. 3. in fine*, ubi benè explicat tunc actu id judicium permanere, quando actu conscientia aliquo modo reclamat, vel per plenum judicium, vel per aliquam dubitationem. Cui addo idem esse, quando culpabile esset eam malitiam priùs existimatam non advertere. Quia is advertendi defectus non liberaret culpa, sicut nec ignorantia culpabilis ea liberat.

8 Tertiò deducitur, deposita rationabiliter conscientia erronea, nullam esse culpam agere contra illam. Quod universi fatentur. Et ratio est clara, quia tota culpæ ratio ex ea consurgebat.

9 At difficultas est, qualiter justè deponatur hæc conscientia errans, ut opus contra eam vacet culpa. Aliquibus placet posse eam ad libitum, & absque ulla ratione deponi quoad applicationem ad opus. Quia cum in proposito tota culpæ ratio ex eo errore pendeat, si hic aut non admittitur, non perseverat, nulla contra conscientiam culpa admittetur, etiamsi alioquin operans ille putaret rem illam in universali, seu speculativè esse illicitam, dummodò hic, & nunc non putet rem illicitam esse. Et hujus exemplum adhibet *Cajetanus statim referendus*. Si mulier ignorans audiret à concionatore, esse mortale uti capillis alienis, eò quòd simulationis mendacium sit, & concipiat ratione, & auctorita-

te